

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3652

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Rouen, Saint-Mathieu (prieuré)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1264, juin

**Lieu d'émission** : Paris

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Louis [IX] roi de France, installe les religieuses de l'Ordre dominicain au manoir se Saint-Mathieu sis près de Rouen qu'il a eu en échange avec E[udes], archevêque de Rouen.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 700, p. 151-152.

Texte établi d'après a

In nomine sancte, etc. Ludovicus, etc. Notum facimus, etc. quod cum nuper, ex causa permutacionis inter nos et dilectum ac fidelem nostrum O. Rothomagensem archiepiscopum habite, de consensu capituli Rothomagensis, acquisierimus manerium dictum de Sancto Matheo, situm juxta Rothomagum, ultra pontem, cum prato, gardino et omnibus pertinentiis suis, sicut idem archiepiscopus ea ante tenebat et possidebat, in quo quidem loco prius Fratres Predicatores habitare solebant, nos desiderantes ut in eodem loco Domino perpetuo serviretur, ad honorem ipsius Domini nostri bonorum omnium largitoris, congregacionem quandam religiosarum mulierum ibidem collocari fecimus, que habltum et ordinem Sancti Dominici susceperunt, et, eidem ordini incorporate, cure et custodie Fratrum Predicatorum auctoritate apostolica sunt commisse ; quibus, priorisse videlicet et sororibus, divini amoris intuitu, et ob remedium anime nostre et animarum inclite recordationis Ludovici Regis genitoris nostri et regine Blanche genitricis nostre ac aliorum antecessorum nostro[rum], donamus et concedimus in puram et perpetuam elemosinam locum ipsum dictum de Sancto Matheo, cum edificiis tam veteribus quam novis a nobis postea constructis, necnon prato, gardino et pertinentiis omnibus, ab eis im perpetuum quiete et pacifice possidendum, et insuper quadringenta libras turonensium annui redditus percipiendas im perpetuum in vicecomitatu nostro aque Rothomagi, medietatem videlicet in quindena resurrectionis dominice et aliam medietatem in quindena Sancti Michaelis, et, propter hoc, capellam nostram de Glapion cum redditibus pertinentibus ad eandem quam antea de consensu dyocesani concesseramus eisdem. Donamus eciam et concedimus in foresta nostra Roverii juxta Rothomagum perpetuum usagium, liberum et quittum, videlicet de bosco mortuo ad arandum in domo sua predicta, et in eadem foresta similiter usagium viri bosci ad edificandum, cum opus fuerit, in eadem domo, percipiendum per liberacionem forestarii nostri, qui pro tempore fuerit, sine difficultate quacunq[ue], concedentes eciam eisdem ut in eadem foresta sexaginta porc[os] im perpetuum habeant ad personam libere et quiete. Preterea concedimus eisdem ut de rebus suis in usus proprios convertendis plenam libertatem habeant in propriis pedagogiis nostris, ita quod de ipsis tam per terram quam per aquam vehendis vel trahendis nullum teneantur [solvere]

pedagium, tholoneum vel exactionem quamlibet vel costumam. Si qua autem alia prius concesseramus eisdem, ea nobis et nostris heredibus retinemus. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius, anno Domini M° CC° LXimo. quarto, mense junio.